

rei post solum pretium, vel post fideiussionem datam de solvendo eodem pretio, si res ipsa vendita tradatur, vel realiter, vel iuris fictione, hoc est, per dispositionem venditoris ad eam tradendam: cum jus approbet dispositionem vendentis ad tradendam rem, perinde ac si realiter traderetur, juxta l. *lectos*, & l. *quod si neque* ff. de peric. & comm. rei vend. ac talis dispositio actuali traditioni a jure æquiparetur, ut videre est apud Rosignolum de Empr. & Vend. prænot. 9. num. 3. Ratio postea fec. par. quod nempe, si Vitalis non solvit pretium, aut non fecit quid æquivalens, venditio dictæ rei postea facta Petronio sit quidem illicita, sed valida, proindeque in hoc casu ad Petronium spectet; in primis ex eo probatur illicita, quia licet Vitalis pro hujusmodi re non solverit pretium, hæc tamen fuit ipsi prius vendita, & per emptionis contractum acquisivit jus ad illam; unde venditor facit ei injuriam dein eam alteri vendendo, isque habet actionem contra ipsum de omni interesse, & damno inde sibi proveniente; & a jure ipsi imponitur pœna falsi, ut passim notant DD. Hoc non obstante, quod ista secunda venditio sit valida, & ideo res ad Petronium spectet, ex hoc evincitur, quia per solutionem pretii, fortius jus acquiritur in ipsa re, & completur contractus ex parte emptoris, in quem propterea juxta dicta transfertur rei dominium. Hinc sicuti, non obstantibus præcedentibus Sponsalibus cum una, valet Matrimonium cum altera contractum, eo quia per Matrimonium acquiritur jus in re, per Sponsalia vero solum jus ad rem; ita, non præsupposita solutione pretii pro re empta a Vitali, bene vero pro eadem re dein empta a Petronio, ob orationem supra allatam venditio talis rei facta Petronio valida est; proindeque ad eundem, utpote habentem majus jus, imo & tanquam ad Dominum, præfata res spectat. Rosignolus l. c. prænot. 11.

M E N S E F E B R U A R I I.

CAS. I. **M**utuat Cajus rustico egenti fabam, cum pacto ut sibi restituat pretium tempore messis in tanto frumento, quod tunc valebit. **Q**uæ hic Contractus sit usurarius?

Resp. talem Contractum in ratione Mutui esse usurarium. Ratio est, quia imponitur onus Mutuatario, ad quod non tenetur ex mutui natura, imo quod est contra naturam Mutui. Mutuum namque ex sui natura obligat Mutuatarium ad restituendum tantundem in eadem specie, mensura, vel numero, & bonitate: hic vero obligatur Mutuatarius ad restituendam rem diversæ speciei, scilicet, frumentum pro faba, & quidem ad illud restituendum, cum minus valet, nimirum tempore messis, quo vilis vendi solet. Propterea cum hoc sit usurarium, eo quia tale onus in casu imponitur ratione ipsius Mutui; ideo dicendum est, talem Contractum in ratione Mutui esse usurarium. Dico in ratione Mutui, proprie enim loquendo hujusmodi Contractus resolvitur in Contractum permutationis, ex regula textus in l. 1. ff. de rer. permutatione. Et resolvitur etiam potest in Contractum venditionis reciprocæ, si nimirum Cæsus obliget se ad nunc dandam rustico fabam justo pretio currente æstimatam; & vicissim Rusticus obliget se ad dandum Cajo tempore messis in pretium tantum frumenti, justo pariter pretio æstimandi: Et in utroque casu, sive permutationis, sive reciprocæ venditionis, si vere servetur æqualitas inter datum & acceptum, inter mercem & pretium, seu id, quod traditur loco pretii, neuter ex his Contractibus est usurarius; sed uterque est liciti-